

Dicimus hunc assensum ab habitu fide elici posse. Potest enim habitus elicere actus tum secundum suam speciem perfectos, tum imperfectos retinentes tamen rationem aliquam communem: eo ipso enim quod potestas habitus est ad aliquid perfectum, est etiam ad id quod in eodem genere est imperfectum et veluti inchoatio perfecti. Iam vero cum Pontifex docet licet nondum peremptorie definiens aliquid tanquam revelatum, assensum elicis in id quod proponitur ex motivo auctoritatis divinae quae tibi moraliter certa est ex magisterio Pontificis, eo quod moraliter certum est ipsum non errare: est quidem assensus imperfectus ex parte firmitatis; retinet tamen rationem communem assensus fidei ex parte obiecti: non est tamen formaliter assensus fidei divinae, quae nequit esse nisi certa. Quod si Pontifex eodem pacto proponat aliquam veritatem connexam cum veritate divina, assensus in eam erit imperfectus actus illius fidei quae magisterio infallibili debetur.

Ita expedita priore quaestione quoad tale magisterium Pontificis, expeditam censemus quoque alteram quoad decreta Congregationum Cardinalium, si nimirum perpendatur ratio quam attulimus pro priore, et advertatur Congregationes Romanas organa esse Rom. Pontificis. Idem scilicet de illis censemus esse dicendum.

Quae ex decretali cuiusdam decessoris Innocentii III in causa dissolutionis matrimonii propter haeresim coniugis, vel ex decreto Inquisitionis in causa Galilaei, aut paucis aliis forte similibus obiici possent, probant solum et exceptionem quam posuimus, et non debere assensum metaphysice certum.

Nota. Ad huiusmodi magisterium Pontificis non sunt referendae literae illae privatae, quibus nihil reapse intendit docere Pontifex, sed solum exhortari animosque addere studiosis viris ad scientiam catholicam illustrandam fidemque tuendam. Cuiusmodi sunt literae SS. Pii IX pro Academia S. Thomae, in quibus certa S. Thomae doctrinae capita recitantur. Idem enim ss. Pontifex declaravit se huiusmodi literis nec voluisse imminuere pretium aliorum quorundam systematum quae in scholis catholicis celebrantur, nec voluisse praestituere exclusivam normam cogitandi quam sapientes sequi debeant, si velint esse catholici. Voluit scilicet commendare simpliciter studium veteris doctrinae scholasticae in iis potissimum quae spectant ad unitatem compositi humani, quae quidem doctrina nec unico systemate olim continebatur, nec excludit scientificos progressus, qui et ex penitiorum rerum analysi et ex subsidio recentiorum scientiarum nati sunt proficisci. Iis proinde literis perperam praeter et contra earum scopum quidam abutuntur.

THESIS XXXIII.

*Frustra sunt qui ut impugnent dogma de infallibilitate Romani Pontificis, demonstrare contendunt aliquem ex Romanis Pontificibus loquentem ex cathedra errasse. Speciatim vero falluntur qui in medium producunt oppositas doctrinas tum Hormisdas et Ioannis II, tum Nicolai III et Ioannis XXII; atque eiusdem Ioannis sententiam de visione beatifica, ac subscriptionem Liberii, et decretum Nicolai I de forma baptismi; et Stephani VI sententiam quoad ordinatos a Formoso; atque Honorii I epistolas in causa monotheletica; sententiamque Zachariae quoad antipodas, ac Sixti V Bullam in editione Vulgatae, sententiamque cuiusdam decessoris Innocentii III in causa matrimoniali, iudiciumque Romanae Inquisitionis in causa Galilaei.*

I. Etenim id generatim peremptoria demonstratione efficitur: praerogativa enim infallibilitatis Romani Pontificis credenda de fide vera semper fuit; fieri ergo non potuit ut Romanus Pontifex loquens ex cathedra erraverit. Quare difficultates quidem superesse possunt criticae et historicae, circa quorundam factorum explicationem, non vero dogmaticae, quae nempe in dubium vocare possint veritatem definitam. Speciminis gratia quasdam ex illis potiores expeditur difficultates.

Hormisdas, aiunt, damnavit monachos Scythas qui dicebant *unum de Trinitate passum carne*: probavit autem eam propositionem Ioannes II: alteruter ergo erravit. Atqui res ita se habuit. Cum Hormisdas Pontificis opera res Orientis componerentur sublatis dissensionibus, pace revocata; monachis quibusdam Scythis in mentem venit dicendum esse: *unus de Trinitate passus est vel crucifixus carne*, ut Nestorianis efficacius se opponerent. Non probata fuit ea novitas legis Pontificis, quia videbatur occasio novarum dissensionum, quando adeo aegre veteres sopitae fuerant. Appellarunt Monachi ad Hormisdam, ad quem quosdam ex suis legatis miserunt. Scripserunt ad Hormisdam eius quoque legati, hortantes eum ne morem gereret monachis, non quidem improbantem propositionem in se, sed illius importunitatem ostendentes, et quod causa dissidiorum foret, et Synodo Chalcedonensi iniuria fieret, quasi eius professio sufficiens non esset. Hormisdas auditis monachis nihil definire voluit nisi postquam sui legati rediissent; et cum monachi abire velent, iussit eos detineri. Sed illi, instante reditu legatorum, clam aufugerunt, postquam non pauca temeritatis, studii partium et su-

perbiae signa dedissent. Tam absurdam agendi rationem improbavit Hormisdas epist. ad Possessorem, eos vocans « novarum cupidus quaestionum, solum putantes scientiae rectam viam qualibet conceptam facilitate sententiam, eousque tumoris elatos, ut ad arbitrium suum utriusque orbis putent inclinandum esse iudicium, nec in numero fidelium deputantes sequaces traditionis paternae, si suae viderint cedere nolle sententiae ». In tota hac epistola improbantur mores monachorum; de doctrina autem in se nullum iudicium fertur. Sed pervulgata notitia, quod Hormisdas non probaverit (quod negative tantum verum erat) propositionem eam monachorum, et quod monachos reprobaverit, imo Ioannes Maxentius patronus monachorum confutaverit epistolam supradictam Hormisdas, eum traducens veluti reprobantem et damnantem eam propositionem; ansa data est faventibus quibusdam Nestorianismo, monachis nempe acemetis, dicendi professionem fidei sibi adversam improbatam fuisse a Romana Sede, ideoque eidem suam doctrinam probari. Tunc tandem Ioannes II re discussa in Concilio Romano catholicam esse propositionem asseruit (cf. Natalem Alexand. H. E. Sec. VI. c. 3. a. 2. et c. 9. Diss. 2<sup>a</sup>). Nulla fuit ergo oppositio.

II. Nicolaus III in Constit. *Exiit qui seminat* (De verbor. signif. in 6) haec tria docet: a) separari posse dominium et proprietatem usus ab usu simplici, qui non est iuris sed facti, dominiumque rerum, quibus utuntur Fratres Minores, reservat Sedi Romanae: b) abdicationem proprietatis omnium rerum non tam in speciali quam etiam in communi esse sanctam et meritoriam: c) eandem paupertatem verbo et exemplo Christum docuisse, licet non semper.

Ioannes XXII in decretali *ad Conditorem*, et alia *Cum inter* (inter Extravv. De verborum significatione) docet haec: a) usum facti honestum non posse secerni a iure utendi (cf. Clementem VI penes Raynaldi an. 1346, n. 70.); secus enim quis iniuste uteretur re tanquam fur: ideoque usum illum facti, quem Nicolaus distinxit a dominio, comprehendere ius utendi (c. 3): b) eo quod dominium rerum fratrum Minorum sit penes Romanam Sedem, non fieri Minores perfectiores aliis religiosis habentibus aliqua in communi; quia « cum perfectio vitae Christianae principaliter et essentialiter in caritate consistat, ad quam per contemptum bonorum temporalium et ipsorum expropriationem via disponitur per hoc praecipue quod sollicitudo, quam temporalia in acquirendo, conservando et dispensando exigunt, quae plerumque ab actu caritatis retrahit, amputetur; restat quod si sollicitudo eadem post expropriationem huiusmodi, quae ante ipsam inerat, perseveret, ad perfectionem huius-

modi talis expropriatio valeat nihil conferre: constat autem quod post ordinationem praedictam non fuerunt in acquirendis ac conservandis bonis praedictis in iudicio et extra minus solliciti quam antea fuerant fratres ipsi, quamquam sint religiosi mendicantes alii habentes aliqua in communi » (c. 3): tum Ioannes illi dominio quod Romanae Sedi asseruerat Nicolaus, renuntiat (ibid.): c) sancit erroneum esse et haereticum affirmare quod Christus et Apostoli non habuerint aliqua in speciali, nec in communi, et quod ipsis non competierit ius utendi iis, quae habebant, nec ius ea vendendi aut donandi (c. 4).

Iam vero quoad primum doctrinae caput nulla est vel apparens oppositio inter eos. Quoad secundum pariter nulla est oppositio: Nicolaus enim rem secundum se theoretice spectat: Ioannes factum historice considerat. Quoad tertium rursus non est oppositio: non enim negat Ioannes Christum verbo et exemplo docuisse paupertatem, quae proprietate careret; sed negat nunquam Christum et Apostolos habuisse propria in speciali et in communi, omnique iure utendi, vendendi, donandi caruisse; sive (ut ait c. 5) negat Christum expropriationem praedictam omnis iuris in *cuiuscumque rei* proprietate et in eius usu in se servasse et imposuisse Apostolis. Haec autem negatio Ioannis non est contradictoria aut contraria affirmationi Nicolai, qui concedit Christum loculos habuisse. Cf. Natalem Alex. H. E. sec. XIV Diss. XI. a. 4.

III. Ioannes XXII putabat animas iustorum non visuras Deum ante resurrectionem: quaestio enim erat non simpliciter de beatitudine in caelo, sed de visione, ut aiebant, *faciali* (cf. Annales Raynaldi ad an. 1331), et pro illa sententia Ioannes disputabat: verum 1) id asserebat cum nondum exstaret decretum ullum fidei: 2) id non tanquam sibi certum asserebat, sed ad modum disputantis, eumque in finem disputabat ut veritatem investigaret. Haec ipse testatus est paulo ante mortem addens probabiliorem iam sibi videri sententiam contrariam: profecerat scilicet in inquisitione veritatis (cf. Ioannem Villani hist. L. XI, c. 19). Nulla ergo haeresis vel materialis. Doctrinam catholicam asseruit eius successor Benedictus XII.

IV. Ad Liberium quod spectat, breviter respondemus: 1<sup>o</sup> si subscripsit, certe subscripsit coactus, ideoque etsi peccaverit, tamen nullum valorem habuit eius actus iuridice spectatus, et idcirco neque potest haberi ut definitio fidei (cf. quae diximus in Th. XXX, III, 3<sup>o</sup>): 2<sup>o</sup> si alicui formulae fidei subscripsit, illi subscripsisse dicendus est quae per se sensum haereticum non fundebat, nempe priori syriensi adversus Photinum editae (cf. Notam Mansi in Diss. 32<sup>a</sup> Sec. IV. H. E. Natalis Alexandri): 3<sup>o</sup> subscriptionem de qua accusa-

tur, certam non esse: imo probabile admodum esse quod optime prorsus se gesserit. Cf. Theodoretum H. E. L. II, cc. 15, 17. Socratem H. E. L. II, c. 37. Rufinum H. E. L. II, c. 27; quibus haud repugnat narratio Sozomeni L. IV, c. 15, ex qua liquet non id effecisse Liberium quod ab eo obtinere nitebatur Imperator nempe ut profiteretur Filium Patri non esse consubstantialem, sed ab Aetianis sparsos fuisse rumores quod Liberius consubstantialis vocabulum condemnasset, et Filium Patri dissimilem confiteretur. Lege FF. Balle-  
rinos de vi ac ratione Primatus c. XV, §. 8 et dissertationem VII inter latinas F. Ant. Zaccaria, unde et valorem disces fragmentorum Hilarianorum.

V. Nicolaus I in Responsione ad Consulta Bulgarorum c. 104 ait: « A quodam Iudaeo, nescitis utrum christiano an pagano, multos in patria vestra baptizatos asseritis, et quid de iis sit agendum consulitis. Hi profecto, si in nomine Sanctae Trinitatis, vel tantum in nomine Christi, sicut in actibus Apostolorum legimus, baptizati sunt (unum quippe idemque est, ut sanctus exponit Ambrosius) constat eos non esse denuo baptizandos. Sed primum utrum Christianus an paganus ipse Iudaeus exstiterit, vel si postmodum factus fuerit Christianus, investigandum. Quamvis non praetereundum esse credamus quid b. Augustinus de baptismo dicat: iam satis, inquit, ostendimus, ad Baptismum, qui verbis evangelicis consecratur, non pertinere cuiusquam vel dantis vel accipientis errorem, sive de Patre, sive de Filio, sive de Spiritu Sancto, aliter sentiat quam doctrina caelestis insinuat ». Docuit ergo Nicolaus valere baptismum collatum sola invocatione nominis Christi; docuit autem munere fungens doctoris omnium Christianorum: atqui hoc est erroneum.

Iam vero concedimus baptismum administratum cum invocatione solius nominis Christi non valere. Advertere tamen licet cum Bel-larmino (De Rom. Pont. L. IV, c. 12) nullam hac super re certam Ecclesiae definitionem exstare, atque insignes quosdam Theologos propugnasse valorem illius formulae, saltem pro aetate Apostolorum (cf. August. Orsi in Dissertatione hac super re edita), quippe quae implicite significet Patrem, Filium et Spiritum S.: cum enim Christus nominatur, significatur et Ungens, et Unctus, et Unctio. Et Paulinus Aquileiensis probat valere baptismum in nomine Iesu collatum in sua synodica (cf. Mansi Concc. T. XIII, pag. 838 et 921). Imo Toletus in III, p. q. LXVI, a. 6. innixus potissimum decreto Nicolai defendit eam sententiam tanquam theoretice probabiliorem.

Respondeo I. probari non posse quod Nicolaus in ea doctrina tradenda, quae ex eius verbis colligi solet, agat ut doctor omnium Christianorum, sive loquatur ex cathedra: quaestio enim ipsi proposita

versabatur circa ministrum, non circa formam: nimirum utrum iudaeus quicumque ille sit, valide baptizet: unde directa responsio Nicolai ad interrogationem Bulgarorum haec est: quicumque sit qui baptizet, dummodo legitima forma utatur, quam certe Bulgari non ignorabant, valide baptizat. Iis enim verbis: *si in nomine S. Trinitatis vel tantum in nomine Christi: unum enim idemque est baptisma*; continentur haec duo: 1° generale, si legitima forma adhibeatur: 2° utramque (si vere iis verbis forma baptismi a Nicolao significatur) hanc esse legitimam formam. Illud autem primum respondet directe consultationi bulgarorum. Nec habuit in animo Nicolaus omnia necessaria explicare; nam nec mentionem facit intentionis ministri, quae certe necessaria est. Incidenter tamen formam quoque determinate declarat. Verum nihil prohibet in quaestione incidenti loqui Romanum Pontificem e sua privata sententia vel e sententia probabili theologorum, eadem relicta in eo gradu certitudinis vel probabilitatis quam ex se habet.

Et sane nihil de hac re definivisse Nicolaum evidens est a posteriori. Si enim ipse definivisset valere eam formam baptismi, huiusmodi sententia invalisset certe in Ecclesia Romana; at constat nullam mutationem in ea factam esse: ergo ea definitio non fuit (cf. Catechismum Romanum De Baptismo n. 16). Atque haec quidem dicuntur in hypothesi quod Nicolaus per verba, *vel tantum in nomine Christi*, voluerit significare invocationem solius nominis Christi; verum et hanc hypothesim certam non esse liquebit ex responsione sequente. Itaque.

Respondeo II. Cum Nicolaus ait: *in nomine Sanctae Trinitatis* non significat formam baptismi esse hanc: *ego te baptizo in nomine S. Trinitatis*, sed significat invocationem explicitam trium personarum quae veniunt sub appellatione Trinitatis. Porro et *baptismus in nomine Christi* significare potest baptismum collatum sub invocatione explicita trium personarum, hic est enim baptismus a Christo institutus; qui sensus ex Actibus colligitur, idque docet cum Basilio (Lib. de Spiritu S. c. 12) Ambrosius (de Spiritu S. L. I, c. 3. coll. de Mysteriis c. 4). Quare Nicolaus non diversas formas exponit, sed eandem formam duplici modo proponit. Cur vero? non est profecto opus ut huius rei rationem reddamus; satis est quod hic loquendi modus sit per se conveniens: potuit autem ex adiunctis interrogationis vel aliis causa adesse cur ita Nicolaus loqueretur, quam tamen nos ignoremus. Quid enim si Bulgari in sua interrogatione utraque appellatione usi fuerint, sed ita ut viderentur arbitrari baptismum de quo loquitur Lucas in Actibus alia forma administratum fuisse, et sic secundum formam aliam fuisse baptismum? quem errorem

per transennam voluerit Nicolaus notare et corrigere docens quod in Actibus de uno eodemque baptismo secundum formam sermo est. Unde illa particula *tantum* (vel tantum in nomine Christi) spectat ad textum Lucae, qui ita loquitur et ex quo occasio orta est Bulgaris suspicandi quod alius esset baptismus. Haec hypothesis (nam hypothesim aliquam facere licet, cum desit textus interrogationum bulgarorum) nobis opportunior videtur explicando textui Nicolai.

VI. Advertendum est 1) iam pridem a Stephano III al. IV contra Antipapam Constantinum, qui fuerat ordinatus Episcopus ab Episcopo Praenestino per vim coacto, decretum fuisse in Concilio Romano (an. 769), ad quod plures Itali et Gallicani, iique eruditi, conveniant, Act. 3<sup>o</sup> « ut Episcopi, quos consecravit (Constantinus), si quidem presbyteri prius fuerint aut Diaconi, in eodem pristino honore revertantur, et postmodum facto more solito decreto electionis eorum ad Sedem Apostolicam cum plebe atque decreto ad consecrandum eveniant, et consecrationem a nostro Apostolico suscipiant ac si prius fuissent minime ordinati. Sed et si alia in sacris officiis isdem Constantinus peregit, praeter tantummodo baptismum, omnia iterentur ». Cf. et Anastasium in vita eiusdem Stephani. Porro ad auctoritatem Stephani III eiusque Concilii provocabant ii, qui Stephani VI acta tuebantur (cf. Auxilium Tractatu de Sacris Ordinationibus L. 2. qui Infensor et defensor dicitur c. 4). Rursus alius Pontifex Ioannes XII (an. 956) in Synodo haec statuit: « Eos quos Leo (Antipapa qui fuerat iussu Ottonis Imperatoris electus et consecratus Pontifex) neophytus et invasor Sanctae Catholicae et Apostolicae Romanae Ecclesiae in quolibet ecclesiastico ordine provexit, apostolica atque canonica auctoritate et synodali decreto in pristinum revocamus gradum, quia ordinator eorum nihil sibi habuit, nihil illis dedit ». Atque affertur exemplum et auctoritas Stephani III: « Sicut olim noster praedecessor piae memoriae Stephanus Papa sententiam tulit de iis qui ordinati fuerant a Constantino quondam neophyto et invasore Sedis Apostolicae, et postmodum quosdam eorum sibi placabiles presbyteros aut diaconos consecravit, statuens ut hi, qui ab eo consecrati erant, nunquam ad superiorem gradum ascenderent, nec ad Pontificatus culmen proveherentur; ne talis impiae novitatis error in Ecclesia pullularet ». Contra hos omnes ergo arguere licet, et videri ipsos putasse ordinationem ab illegitimo Episcopo peractam esse nullam quoad effectum sacramentalem, et ab eo ordinatos specie tenus tantum esse denuo ordinandos.

Advertendum 2) incredibile esse quod Ecclesia Romana seu Romanus Pontifex tanto tempore, etiam post adversariorum, cuiusmodi fuit Auxilius, disputationes ignoraverit quod Gregorius M. docuerat

Epist. L. II, ep. 32. dicens ridiculum esse velle iterum ordinare eum qui ordinatus fuisset: ignoraverint doctrinam Augustini probantis contra donatianos baptismum iterari non posse, quia nec ordinatio iteratur; ignoraverint decretum Concilii Capuani sub Siricio, quo Bonosi haeretici ordinationes probatae sunt; ignoraverint quid hac in re Innocentius I decreverit, quid de ordinationibus Acacii statuerit Anastasius II Pontifex epist. 1. ad Anastasium Imperatorem, etc. Cf. dicta in proleg. §. XIII.

Advertendum 3) eruditos facile concedere iterationem decretam a Stephano III non fuisse iterationem Sacramenti ordinationis, sed sacramentale quoddam, ritumque sacrum quo antiquitus depositi et gradu suo deieci, Pontificiae reconciliationis beneficio, ad pristinos honores iterum promovebantur: ritum autem illum vocari *consecrationem*, quia cum ordinum insignia reciperent coram altari, et benedictione Episcopi reconciliarentur, ac potestatem obeundi munia ordinum, quos illegitime susceperant, eius indulgentia consequerentur, videbantur quasi de novo consecrari. Ita Natalis Alexander H. E. Sec. VIII, c. I, a. 8. Cur vero ita ipse historiam eam interpretetur, ratio est quia non est adeo verisimile Stephanum et Episcopos ex Gallia accersitos doctos et eruditos, qui in ea Synodo sedebant, ita fuisse traditionis ignaros. Et sane id facile liquet si decreti verba perpendantur. Non enim dicitur quod consecrandi sint, eo quod prius non fuerint ordinati, sed: *ac si prius fuissent minime ordinati*. Ordinatio scilicet valida quoad characterem supponitur, sed quoad dignitatem locumque honoris et iura, nulla eius ratio habebatur: ut iam Innocentius I docuerat (§. cit.). Non ergo Stephanus III putavit ordinationis sacramentum ab Antipapa collatum fuisse nullum, sed tantum nullum ius exercendi muneris fuisse collatum, nullam iurisdictionem datam, ideoque, secundum morem loquendi veterum canonum, eos Episcopos non esse, non esse presbyteros aut diaconos: atque adeo quodam ritu, qui consecratio dici potest, redintegrandos esse. Cf. Conc. Rom. sub Ioan. IX in quo Synodus Stephani VI abrogata est: in quo, c. 8. decernitur ne habeantur inter ecclesiasticos viros, et sacerdotes vocentur ii qui ab eodem Concilio sunt canonice depositi. Ita et in oecumenica Synodo Lateranensi II cn. 2<sup>o</sup> sancitum est ut « ordinationes ab haereticis factae sint irritae ».

Atqui eodem modo interpretari licet acta Stephani VI quoad ordinationes a Formoso factas. Nam quod ex historia novimus huc redit: declaratas fuisse irritas ordinationes Formosi, non esse habendos ut Sacerdotes et Episcopos qui ab eo fuerant ordinati; ordinationes iteratas esse. Idque defensores Stephani VI tuebantur exemplo Stephani III. Eadem ergo fuit sententia utriusque Stephani; quamvis

identidem adversarii inter quos Auxilius (Tractatu citato) eam in deteriore sensu acceperint aestu disputationis abrepti. At si ita res se habuit, quaenam causa fuit disputationis, cum alias quoque in tota antiquitate id factum fuerit? Respondeo: causa duplex fuit 1) quod Formosus Pontifex legitimus fuerat, et pius ac sanctus a pluribus habebatur, contra Stephanus male audiebat, duaeque factiones existebant sibi adversae; unde ordinati a Formoso, eiusque causae faventes iniuriam pati non poterant. 2) Usus termini *ordinationis* et *consecrationis*, qui occasionem praebere potuit adversariis liberius impugnandi illud decretum.

Ceterum, ut omni ex parte difficultati faciamus satis; data etiam hypothese quod Stephanus voluerit rursus sacramento ordinationis initiari quos sciebat a Formoso Episcopo fuisse ordinatos, respondemus cum Natali Alex. H. E. Sec. 9, c. 1, quod *peccatum* fuit *conversationis* non *error praedicationis*. Nihil enim docuit Stephanus, sed tantum egit et fieri iussit aliquid contra id quod fides docet. Neque id praecepit tanquam regulam servandam semper ab Ecclesia, quemadmodum fit cum doctrinae morum definiuntur a Pontifice, etiamsi aliquos tantum immediate doceat; sed solum praecepit id fieri in speciali causa Formosi. Porro manente etiam fide potest aliquid fieri ex perversa voluntate quod scimus a fide prohiberi, neque eo actu vere quis dicitur docere aliquid contra fidem. Peccavit ergo Stephanus, sed 1) non ideo dici potest errasse in fide; nec 2) dici potest docuisse aliquid contra fidem: multoque minus 3) docuisse aliquid ex cathedra ut tenendum ab universa Ecclesia.

VII. Ad Honorium quod spectat duplex quaestio fieri potest: 1) utrum in eius epistolis haeresis contineatur: 2) qui fieri potuit ut ut is a Concilio tanquam haereticus damnaretur, si infallibilis habebatur Romanus Pontifex? Difficultas est in altera quaestione, quam tamen agemus in thesi sequente. Quoad primam vero iam satis constat catholicam prorsus esse doctrinam epistolarum Honorii; idque his nostris quoque annis a pluribus in luce evidentissima collocatum; quod et nos breviter ostendemus in Th. sq. ut omnia simul coniungamus.

VIII. R. P. Zacharias epist. ad S. Bonifacium (Ann. Baronii an. 748) de cuiusdam Virgilio perversa doctrina hoc fert iudicium: « De perversa autem doctrina quam contra dominum et animam suam locutus est, quod scilicet alius mundus et alii homines sub terra sint aliusque sol et luna, si convictus fuerit ita confiteri, hunc accito Concilio ex Ecclesia pelle Sacerdotii honore privatum ». Quaerenda est primum intelligentia huius perversi dogmatis Virgilio, nec suppetit tamen aliud documentum praeter haec verba Zachariae. Itaque advertite fuisse

penes non paucos veteres christianos opinionem quod sola haec nostra terrae facies quam maria ambiunt habitata sit; quod sol occidens orbem suum non compleat sub terra rediens ad Orientem, sed cum occiderit ultra mare gyrans circa septentrionalem plagam redeat ad locum Orientis, et inde ascendat, idemque peragere lunam (cf. Cosmam Indicopleustem Topographiae L. II, Severianum Episcop. Gabalit. de Mundi Creatione Orat. III). In hac hypothese qui alios homines nobis obversos sub terra h. e. antipodas voluisset asserere, is et alium pro ipsis solem aliamque lunam debuisset supponere. Ex quo liquet quomodo aliqua opinio haec duo potuerit copulare, nempe *alios homines sub terra, et alium solem atque aliam lunam*. Cum ergo haec coniunxerit iste Virgilius, huiusmodi fuisse videtur eius sententia. Iam vero haec opinio ita repraesentat homines antipodas ut sint aliud genus hominum ac nostrum, non sint scilicet homines orti ex Adamo: sic certe sonant verba Zachariae, *alius mundus, alii homines, alius sol et luna*; homines nempe qui nihil commune habeant nobiscum. Atqui quod in hac tellure sint alii homines qui non sint ex Adamo, ad quos proinde nec peccatum Adami nec Christi redemptio spectet, est profecto haeresis. Et haec ratio erat cur et Augustino (Civ. Dei L. XVI, c. 9) hypothesis antipodum non probaretur: cum enim propter interpositum immensum oceanum crederetur fieri non potuisse ut nati ex Adamo illuc pervenirent ut etiam ibi humanum genus institueretur, opinio de existentia antipodum accipiebatur ab Augustino ut opinio de existentia hominum in tellure qui non essent ex Adamo, atque sub hoc respectu reprobabatur. Hic autem respectus se prodebat manifeste in opinione eorum qui dicebant alium esse mundum alios homines sub terra pro quibus alius esset sol et alia luna; et idcirco merito a Zacharia decretum est hominem haec docentem puniendum esse.

IX. Sixtus V (ait Dr. Langen op. cit. P. II. §. 2. P. IV. §. 4. pag. 93) in Bulla *Aeternus ille* quam praemisit suae editioni Vulgatae fatetur se operam suam posuisse in absolvenda emendatione Vulgatae, perpensis emendationibus propositis a consultoribus, iisque electis quae praestantiores videbantur: idque se praestitisse significat vi auctoritatis quam in Petro accepit, cui indeficientia fidei exorata est a Christo, et qui propterea iussus est confirmare fratres. Vulgatam autem ita a se emendatam typis edens decernit ex certa scientia et plenitudine Apostolicae potestatis ipsam sine dubitatione ulla et controversia pro ea latina Vulgata recipiendam quae tanquam authentica a Tridentina Synodo recepta est, quam nos, ait, prout optime fieri potuit, emendatam evulgamus. Atqui, inquit, adeo longe aberat ab emendatione illa editio Sixti V, ut mox a Successore eius omnia